QVAESTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVII. MARTII,

M. IOANNE RIOLAN Doctore Medico, Regis Consiliario & Professore, & Reginæ Matris Archiatro, Moderatore.

Estne lac statim à puerperio longe vetustiori recens natis infantibus salubrius? 866

FOETVS humani actiua & passiua principia, semen & sanguis: illud vi testium probe elaboratum, & spiritibus, solis ex omni corpore deciduis, turgens (hoc solo nomine concretionis expers) vteri sinu bene morati auidè prolectum & exceptum in duas primùm membranas abit, operis futuri velamina, quibus spiritus genitor arctè conclusus, proximum animæ corpus formantis, quod informatura est, instrumentum fouetur, vt vegetior partium nobilium, tum cæterarum admirabilem plane delineationem, atque vbi sanguis maternus appulerit, perfectam conformationem aggrediatur, quam, quasi à proposito scopo aberraret, cor & lienem in dextris, hepar in sinistris locare nonnunquam contingit, pulmonis, epiploi, ventriculi & intestinorum (rectum si exceperis) immutato & inuerso situ, non ordinis serie. Quum omnes corporis partes totius moli proportione respondeant, in adultis exiles admodum si apparent, in infantibus recens in lucem editis tantò sunt minores, quantò minùs ad adultorum proceritatem accedunt.

VT semini partes omnes ortus sui rudimenta referunt accepta, sic à sanguine habent vt alantur & crescant, vbi variis circuitibus diuturnâque morâ alterationem subierit. Ob id natura mirabile prorsus nacta est artificium, quo fœtum matris vtero firmiter alligauit chorij membranæ interuentu, & placentæ carnis rotundæ, spongiarum instar rarissimæ, inæqualis, infinitis prope venulis & arteriis ramulatim dispersis refertæ, quæ non anastomosi coeunt cum matris vasis, sed sanguinem roris instar exudantem & illabentem prolectant tenuiorem & defœcatiorem, qui diuturniore cunctatione magis ac magis perficitur, præsertim cum nulla sanguinis portio vterini iecoris vim propter vasorum tenuitatem effugere possit. Ob eamdem causam ductum efformauit longiorem, nodis quibusdam (fœcunditatis nequaquam indicibus) distinctum, & quâ ad vmbilicum vergit varicis in modum contortum, ex duabus arteriis & venâ vnicâ alternatim implicitis conflatum: quâ tamen arte vitare non potuit, excrementorum αἱματώσεως, non χυλώσεως in fœtu otiantis, prouentum, torminum, quæ recens natos infestare solent, auctorem.

MATERNIS loculis exclusus & diuulsus tenellus infans sanguine nutriri nequit ampliùs, nec debet ore sugere: à ventriculo quippe cibis nondum assueto subigi non posset: imò breuî concresceret, & tandem in assumentis perniciem putresceret. Conuenientius idcirco, & quod innocuum foret, sapiens & prouida natura hominis sedulò incumbens custodiæ, alimentum vix aut nunquam amarescens, tantò sanguine frigidius, quantò hepatis caro adenes calore superat, ex sanguine confluo in mammis genitum apparauit, quod ab imbecillo etiam calore coqui facilè posset, & ex eo succus optimus elici ad triplicis substantiæ deperditæ restaurationem, qui tenuitate suâ venas quantumuis exiles nullo pene negotio permearet, & sordes plurium mensium interuallo in intestinorum gyris & anfractibus collectas benignè elueret, quasi hoc vno infantuli damna omnia reparare satageret, vt sat ageret.

ETSI lactis vna sit idea, varias tamen dotes obtinet pro nutricis naturâ, temperamento, ætate, victus genere & à partu tempore: statim quippe aqueum plane & impurum existit: exacto puerperio siue à lochiorum repurgatione tenue & defæcatum: processu tandem temporis crassius euadit, aluo indurandæ & pariendis obstructionibus in præferuidis visceribus maxime opportunum: parum ob id tutus minùsque salubris pulticulæ vsus, quo glutine occluduntur vasorum meatus. Lac etsi homiomeres, ex triplici tamen constat substantiâ: butyrosâ, vnde habet, vt pingue sit: caseosâ, vnde crassum & dyspepton: & serosâ, vnde tenue, crassosque ideo humores incidere, venarum riuulos peruadere & aluum inoffensè subducere valet.

GENERATIONI lactis mammas addixit natura, structuram conuenientem, figuram & situm impertiuit: coalescunt ex corpore glandoso, (in quo vis γαλακτοποιητικὴ potissimum residet) propriâ membranâ obuallato, & adipe multo innumeras prope venas & arterias quoquouersum dispersas molliusculi puluinaris instar suffulciente, quæ ad papillam pluribus foraminibus peruiam protenduntur, quâ tamquam gutturnio lac commode instillatur infantis oscillo, non præpeditâ respiratione: eam ob rem ex rotundâ ad pectus depressâ in oblongam figuram desinunt. In anteriore thoracis parte collocauit, vt cor caloris natiui fons vberrimus earum actionem promoueat, & suâ viciniâ acceleret. Nutricis & infantis rebus abunde consuluit, cum lactantis tædium voluptatis quibusdam illecebris, insuetum sugentis laborem suauissimo demulsit succo, qui si tenuis fuerit, vt solet primo quoque tempore post exactum puerperium, corpori εὔροιαν conciliabit, reseratis meatibus & intestinorum crassâ illuuie meconio non absimili attenuatâ, eâdemque per loca conuenientia detrusâ, à torminibus, vigiliis & pauoribus vindicabit: sin crassior extiterit, vt longe vetustior, aluum sistet, infractus plurimos pariet, à quibus numerosa morborum seges sobolescet.

Ergo lac statim à puerperio longe vetustiori recens natis infantibus salubrius.

Proponebat Lutetiæ STEPHANVS LEGAIGNEVR Parisinus. A.R.S.H. M.DC.XXXIX.